

prohiberetur. Ego itaque Lietbertus, qui ei successi, tanto et tali animatus exemplo in predecessoris mei primitias laboraturus introii et, quoniam parva erat, iuxta aecclesiam illam monasterium ampliori scemate edificavi ipsumque in honore domini nostri Ihsu Christi et sancti Sepulchri eius et sanctae dei genitricis Mariae omniumque sanctorum dei consecravi edificato[que in] claustro cum ceteris officinis abb[atem et monachos eid]em loco assignavi. De rebus ergo possessionis meae imperiali concessu et pontificali donatione ecce coram deo et presentibus testibus istud doto monasterium ad usus illorum, qui ibi deo famulaturi sunt, hoc est in suburbio Cameracę civitatis abbatia sancti Martini, quicquid in manu mea est, paroechiales quoque duae aecclesiae sancti Georgii et sanctae Mariae Magdalene, altaria cum aecclesiis, minutum theloneum, cambę et plura curtilia cum districto toto et terrę arabiles circa Cameracum, quas decambiavi ab abbate Waldrico sancti Andree apostoli, cum aliis pluribus. In eodem Cameracensi suburbio molendinum unum, alterum et dimidium apud Uillam Puerorum¹⁾ cum districto, item aliud apud Nigellam²⁾ cum districto. Concedo etiam omnem piscationem, quę continetur inter duo priora molendina. In pago Cameracensi villam omnem sancti Hylarii³⁾ cum aecclesia et altari, de villa Rotlancurt⁴⁾ tertiam partem, aecclesiam [de] Salegio⁵⁾ cum altari, aecclesiam de Tum⁶⁾ cum altari, altare de Maineriis⁷⁾. Ad Relincurt⁸⁾ curtilia et terre arabiles, ad Blahircut^{b)9)} due partes unius cambe, curtilia et terra arabilis, in Bantineis¹⁰⁾, Hera¹¹⁾, Rameliis¹²⁾, Morenceis¹³⁾, Collerio¹⁴⁾, Olleuilla¹⁵⁾, Solobria¹⁶⁾, Marconio¹⁷⁾ et apud

¹⁾ Proville, Département Nord, Arrondissement Cambrai.

²⁾ Noyelles-sur-l'Escaut, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

³⁾ Saint-Hilaire-lès-Cambrai, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

⁴⁾ unbekannt.

⁵⁾ Sailly-lès-Cambrai, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

⁶⁾ Thun-l'Évêque, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

⁷⁾ Masnières, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

⁸⁾ Raillencourt, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

⁹⁾ Blécourt, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

¹⁰⁾ Bantigny, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

¹¹⁾ Erre, Dép. Nord, Arr. Cambrai, Com. Ramillies (?).

¹²⁾ Ramillies, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

¹³⁾ Morenchies, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

¹⁴⁾ Cauvoir, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

¹⁵⁾ unbekannt.

¹⁶⁾ unbekannt.

¹⁷⁾ Marcoing, Dép. Nord, Arr. Cambrai.

b) Blahicurt B.